

Deum minime timeri deprehendunt: ut humana saltem formidine peccare metuant, qui divina judicia non formidant. Nequaquam namque praepositi ex hoc quaesito timore superbiunt, in quo non suam gloriam, sed subditorum justitiam quaerunt. In eo enim quod metum sibi a perverse viventibus exiguat, quasi non hominibus, sed animalibus dominantur: quia videlicet ex qua parte bestiales sunt subditi, ex ea debent etiam formidini jacere substrati.

Sed plerumque Rector eo ipso quo ceteris praeeminet, elatione cogitationis intumescit, et dum ad usum cuncta subjacent, dum ad votum velociter jussa complentur, dum omnes subditi, si qua bene gesta sunt, laudibus efferunt, male gestis autem nulla auctoritate contradicunt, dum plerumque laudant etiam quod reprobare debuerant, seductus ab his quae infra suppetunt, super se animus extollitur; et dum foris immenso favore circumdatur, intus veritate vacuatur, atque oblitus sui in voces se spargit alienas, talemque se credit, qualem se foris audit, non qualem intus discernere debuit. Subjectos despicit, eosque aequales sibi naturae ordine non agnoscit: et quos forte potestatis excesserit, transcendisse se etiam vitae meritis credit. Cunctis se aestimat amplius sapere, quibus se videt amplius posse. In quodam quippe se constituit culmine apud semetipsum, et qui aequa ceteris naturae conditione constringitur, ex aequo respicere ceteros designatur: sicque usque ad ejus similitudinem ducitur, de quo scriptum est: omne sublime videt, et ipse est rex super universos filios superbiae. Qui singulare culmen appetens, et socialem Angelorum vitam despiciens, ait: ponam sedem meam ad Aquilonem, et ero similis Altissimo. Miro ergo judicio intus foveam dejectionis invenit, dum foris se in culmine potestatis extollit. Apostatae quippe Angelo similis efficitur, dum homo hominibus esse similis dedignatur. Sic Saul post humilitatis meritum in tumorem superbiae culmine potestatis excrevit: per humilitatem quippe praelatus